



22.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,  
DE  
PRAEPARATIONE OLEI  
ANIMALIS CHRISTIANI DEMOCRITI  
EIVSQVE VSV FEBRIBVS  
INTERMITTENTIBVS  
MEDENTI,

QVAM  
AVSPICE DEO T. O. M.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO AVGVSTISSIMO,  
ET POTENTISSIMO PRINCIPE

GEORGIO SECVNDO  
REGE MAGNAE BRITANNIAE FRANC. ET HIBERN.  
DEFENSORE FIDEI,

DVCE BRVNSVICENSI ET LVNEBVRGENI, S. R. I.  
ARCHITHESAVRARIO ET ELECTORE,  
PRAESIDE

PRORECTORE MAGNIFICO,

ALBERTO HALLER

PHIL. ET MED. D. P. P. O. CONSILIARIO AVLICO, ARCHIATRO  
REGIO, SOCIET. REGIAR. ANGL. ET SVEC. SOD.  
SVPREMI SENATVS REIPVBL. BERNENS. DVCENTVMVIRO,  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV,

PRO  
HONORIBVS AC PRIVILEGHS DOCTORIS  
RITE OBTINENDIS,  
DIE XXX. MAII A. R. S. MDCCXLVII.

H. L. Q. C.  
PRO CATHEDRA DEFENDET  
GOTTHOLD ERNESTVS LOEBER,  
RONNEBVRGENS. SOC. LAT. IENENS. SODAL.

GOTTINGAE, LITTERIS HAGERIANIS.

*S. J. G. Hagerianus*



DEPARTMENT OF THE INTERIOR  
BUREAU OF LANDS  
WASHINGTON, D.C.

GEORGIO SECVANDO  
DICEPTIUM IN REBUS  
ARCHIEPISCOPO ET

ADRIANO HALLER  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORIS  
ET CETERIS

GOTTHOLD HEINRICH BOBER  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORIS  
ET CETERIS







§. I.



eminem ego fore arbitror, vel tenui tantum morbosae hominum vitae instructum notitia, quin pertinacis illius morbi sit gnarus, quem frigidae, siue intermittentis febris nomine iam nuncupauit antiquitas, praesertim cum ea ipsius ubique gentium sit frequentia, ut in hunc vel illum ingruentem, uetulae adeo, luculentis inductae signis cognoscant. Eorum medicorum autem non esse tantum numerum, quantum morbi frequentia requirit, qui eidem malo urgenti, possunt reperire medicinam, tot aegrorum querelae satis arguunt, qui ab impetu febrili spuria medela depulso, corpus aut recidua febre languere, aut enato inde malo peiori sentiunt intabescere. Vnde curiositatis notam apud eruditos non incurrit Democritus, qui huic defectui succurrere, & medelae febrilibus eiusmodi faciundae rationem exponere pro virili studuit. Neque mihi ueniam arbitror iri denegatum, si eiusdem uestigia sequi, curisque ipsius meas  
sub-



subnectere animum induxero. Quod cum futurum confidam, non est sane, cur multa praelocutus ad scopum per longa demum ambagum diverticula redeam, praeterquam quod ipsum id sibi velit breuitatis studium, ut de orationis causa, sub eiusdem exordium certior reddatur Lector Beneuolus. Is autem orationis scopus esto, ut singulare aliquod medicamentum, animalis olei nomine insignitum, quod intermittente febris laborantibus profuturum valde asseruit Christianus Democritus † sub examen reuocem, quidque sentientium sit de eodem instituta disceptatione reddam perspicuum.

† Vid. eiusdem libellum de Morbo & Medicina vitae animalis conscriptum Cap. II. §. X.

§. II.

Duo autem sunt capita, in quae commode dispefcitur, quicquid de oleo isthoc dixit Democritus. Alterum ad praeparationem ipsius rite instituendam atinet, virtutes eiusdem aegro proficuas breuiter alterum describit. Mihi eundem tramitem licebit fortiri, ita ut examen modi, quo oleum illud impetratur partem dissertationis priorem sibi vendiget, posterior facultatis ipsi tributae explorationem contineat. Rem autem priusquam aggrediar, pauca de ipso nomine huius medicinae mihi videntur praemonenda.

§. III.

Olei nomine ipsa & Democrito et iam dudum Helmontio venit †, eodemque ab omnibus eruditis post modum semper fuit appellata: iure quidem, quando-





quidem liquorem sistit, particulis sulphureis abundantem, & aquae per se non commiscibilem, quo genuina olei idea mihi quidem exprimi videtur.

† vid. ipsius libellum de Aurora Medicinae, ubi diaphoreticum oleosum vocatur.

- Nota a) Ad olei naturam pertinet ut sit liquor, quo a cera pice & resinis commode possit distingui.
- b) Oleum debet abundare partibus sulphureis, iisque vel inflammabilibus vel non inflammabilibus, 1) ut Mercurius currens ex oleorum numero excludatur, 2) ut sub eodem fixa quaedam olea possint comprehendi.
- c) Oleum cum Aqua sine medio non debet posse commisceri, alias enim spiritus quidam sulphurei & inflammabiles ad olea possent referri,
- d) Oleum vitrioli, item olea per deliquium parata, olea proprie non sunt, quamvis vel ob consistentiam, vel ob aliam qualitatem, quam cum iis habent communem, oleorum nomen communi eruditorum suffragio sint adepta.

#### §. IV.

Oleum animale vocatur ideo, quod ex animalium partibus instituta destillatione vulgo solet obtineri, licet regnum vegetabile simili oleo producendo inep- tum plane non sit censendum.

- a) Praeter fuliginem, femina quaevis valde oleosa, sive olea eorum expressa tale oleum copiose suggerunt, olea praesertim ista si putrefactione praeuia disposueris, immutante quodammodo acidum vegetabile, tale quicquam ministrant, quod ab animali oleo parum vel nihil differre deprehenditur.
- b) Nec minerale regnum, oleum illi non absimile respuit, qui succinum ex mineralium ciuitate proferunt, ex



lithantracibus & aliis terrae bituminibus, debita praeparatione oleum impetrabunt ab animali non multum distans, quamvis inter utrumque discrimen aliquod intercedere non negauerim.

§. V.

His praemissis, ad ipsam huius olei praeparationem pergo, quam ita institui iubet Democritus † vt quaeuis materies ex animalium regno depromta, destillatione per cornutam urgeatur, donec oleum prodeat, cui ex odore empyreumatici nomen imposuerunt, id autem a sale suo volatili rite separandum, & tamdiu rectificandum esse innuit, dum nihil amplius faecum post se relinquat, quod in destillatione decima quinta euenire affirmat.

† vid. ipsi. libr. de Morb. & Med Vib. Animal. loco supra citato.

§. VI.

Duo itaque sunt in hac operatione potissimum obseruanda, alterum in separatione olei a sale volatili, alterum versatur in faecum ipsi inhaerentium sequestratione. Vtrumque ut magis fiat perspicuum materiae cuiusdam animalis chemica analysi erit vocanda in subsidium. Quamvis autem perinde sit, quamcunque materiam ex animalium familia desumptam fortiaris, cum quaeuis eadem producta, ubi igni ipsam subieceris, ob oculos ponat, malui tamen pilorum destillationem exempli loco proferre in medium, quandoquidem ipsi oleo subtili scatent & copioso, & facillime demum destillantur.

§. VII.

Pili autem inclusi cornutae, & commissi destillationi ad chemicae artis normam, post aquam parum a com-





communi diversam, spiritum suggerunt salino oleo-  
sum, post ipsum sal volatile, tandem oleum empy-  
reumaticum impense rubicundum, residuum est car-  
bo ater amarus, parum vel nihil salis continens. Li-  
quores hosce altera vice ex recipienti vase per alem-  
bicum destillando, aqua cum spiritu & sale volatili  
seorsim obtinetur, oleum vero in fundo vasis remanet.

§. VIII.

Duplex vero est oleum quod in hac operatione  
ascendit, etsi unicum tantum memoravi, alterum  
enim in spiritu oleoso latitat, utrumque quomodo sale  
volatili liberetur, ut exponam, initus ordo videtur  
postulare.

§. IX.

Primum itaque Recipe. aquam & spiritum oleosum  
iisque admisce omne illud sal volatile quod destillatio-  
ne secunda fuit eleuatum, miscelae huic tantum ad-  
de aquae communis, quantum poscit proportio ana-  
tica, eam miscelam immitte vitro recipienti cui im-  
positus est alembicus, subdito tandem igne levissi-  
mo, ascendere videbis sal volatile elegantissimum,  
quod nisi satis sit purum, superstiti miscelae aliquoties  
poterit remisceri & denuo sublimari. Post ultimam  
eius eleuationem & separationem in vitro recipienti  
oleum videbis aquae supernatans, cuius colligendi  
causa operatio fuit instituta, quod tritorii ope se-  
parari & seorsim poterit asservari. Postea Recipe. oleum  
empyreumaticum, affunde ipsi aliquoties aquam cali-  
dam, ipsamque assiduo motu magis aptam redde ad  
soluendum, separato ab aqua oleo, illud minus acre,





& omni fere falsedine exutum impetrabis. Atqui hic est modus, quo oleum utrumque inhaerentis salis volatilis notam amittit, quem Democriti silentium compensaturus, descripsi. Falluntur autem eximie, qui oleum & sal inde separata pro principiis habent, cum utrumque mixtum adhuc sit, & in noua mixta possit dissolui.

Not. a) Sal volatile in priori operatione propterea spiritui oleoso additur, quia multum olei continet, quod in sublimatione aliquoties repetita magis magisque separatur.

b) Oleum & sal volatile quantumuis separata, mixtis tamen recte annumerari, facillime potest demonstrari. Oleum cum sale tartari fixo probe commixtum & destillatum ingentem salis volatilis copiam praebet, sal volatile itidem, cui triplum pulueris cretae pondus est adiectum, si sublimetur aliquoties manifestas olei notas post se relinquit.

§. X.

Succedit olei depuratio, ordine iubente nunc exponenda. Hanc autem perfici ait Democritus & si quindecim saltem vicibus destilletur, ita ut in ultima destillatione nihil faecum amplius dimittat.

† vid. ips. libr. de Morb. & Med. Vit. Animal. loc. supr. citat.

§. XI.

Faeces quid hoc loco sibi velint, merito venit in disquisitionem. Complures, in quibus ipse Democritus fuisse videtur, ipsas habent pro particulis terreis, quas in destillatione secum rapuisset oleum, neque quidem potest negari, tale quid saepius accidere in  
opc-



operationibus chemicis, ita enim pluuialem aquam post secundam quoque destillationem terreas partes abscondere, tertia demum destillatione vel quarta se manifestaturas, nemo chemicorum ignorat, sed eandem hic esse rationem, quilibet negat expertus. Ii enim omnes, qui laboris taedio non perterriti, operationem isthanc a Democrito descriptam susceperunt, oleum ab omni recremento immune subministratam, praeter spem & opinionem obseruarunt, repetitis destillationibus oleum illud totum quantum in aquam elementarem secedere, & terrestre aliquod crassamentum. Cum vero nemo sit, qui ex mera aqua & inutili terra oleum illud constare credat, facile perspicitur, principium inflammabile & volatile salinum, quae oleum constituere supra docui, igne mutata in terram abiisse.

Not. a) Chemiae gnarus non difficulter huius rei rationem intelliget, oleum, quod modo memoravi, sale volatili constat & oleo aethereo firmiter inter se connexis, nec nisi interveniente tertio separabilibus, quando itaque oleum urgetur calore nimio, pars inflammabilis aduritur, unde empyreuma, sal vero volatile particulis oleosis firmissime inhaerens figitur, & aqua elementalis articulis suis soluta auolat.

b.) Oleum quoduis aethereum, certum tantum ignis gradum, qui fere est aquae bullientis sustinet, si maiori subiiciatur, tunc ea sequitur corruptio quam modo descripsi, ea vero nihil est quam determinatio ad fixitatem, & quid est quod facilius figitur, quam sulphur volatile, quod notum abunde est metallurgis, qui pingua metallorum calcibus igne fundentis admiscent, de ipsorum virtute metallis perditum *Φλογισον* restituendi, satis persuaasi.

c) Sal





- c) Sal volatile, quamvis prae omnibus ignem fugiat, facillime tamen sensim figitur, quod vel ex vnico chemicorum experimento patet, quo sal volatile cornu cerui, cui tripla cornu cerui usti portio est adiecta, post sublimationem saepius repetitam figi scimus.
- d) Oleum sub terrae forma apparere, nihil est chemicis inauditum, qui spiritum urinae proprio sale volatili saturatum destillant, liquorem accipiunt clarum & pellucidum, hic vero sibi relictus post temporis notabile intervallum terram dimittit, parietibus vitri adhaerentem, quae ex oleo sali admixto est oriunda.

§. XII.

Quemadmodum autem ex his apparet, operationem illam in olei depuratione & attenuatione versantem, quam delineauit Democritus, nec gratam posse esse, nec proficuum, quia parum illud olei subtilis, quod post tot destillationes remanet, cum ingenti olei ipsius iactura est coniunctum, ita ut de alio quodam modo, idem efficiente sine detrimento, sollicitus sit chemicus, res videtur postulare.

§. XIII.

Ita autem scopus ille obtinetur. Cape oleum illud subtile, quod ex spiritu oleoso prodiit, cui mercurialis nomen tribuit Beccherus, & id affunde oleo crassiori empyreumatico, miscelae huic adde duplam aquae destillatae quantitatem, institue destillationem, & prima vice prodibit oleum subtile, pallidum, quod residuo remixtum & eadem via destillatum, & magis subtile & copia auctum impetrabitur.

✚ vid. ipsius Oedipum chemicum titul. III. §. II.

Not.





Not. a.) Oleum illud mercuriale crassiori ideo additur, quia ejusdem partes in destillatione secum rapit & reddit volatiles, volatilia enim iuncta fixioribus eiusdem naturae, eadem volatilifare, quis est qui neget?

b.) Aqua ideo oleo affunditur, quia ipsa combustionem impedit, quod omnibus, qui in oleorum aethereorum, ex vegetabilibus obtinendorum praeparatione fuerunt occupati abunde est notum, ita enim idem hic fit, quod fieri debebat in operatione Democrito familiari, oleum nempe magis volatile redditur, neque tamen ob impeditum ulterius empyreuma, quantitas ipsius imminuitur.

§. XIV.

Exposita igitur olei animalis praeparatione, ut de eiusdem facultate febribus intermittentibus medendi paucis disseram, partes meae videntur postulare. Duobus autem fundamentis ipsam niri arbitratur Democritus ☿, virtute nimirum resolvente & anodyna, utraque num oleo insit nec ne, patebit ex sequentibus.

✚ vid. ips. libel. de Morb. & Med. Vit. animal. Cap. II. §. X.

§. XV.

Medicamenta anodyna, corpora mihi sunt physica, quae vel externe applicata, vel ingesta dolores aut leuant aut plane tollunt. Haec autem cum tam varia sint & sibi saepe contraria, classes eorum erunt constituendae, ut adpareat, quo pacto oleum animale illud nomen possit adsciscere.

§. XVI.

Tres vero sunt ordines, sub quibus quaevis anodyna comprehendi posse mihi persuadeo. Primus ea

B

con-



continet, quae dolores abigunt, tollendo eorū causam proximam; talia sunt diluentia, quae acre in corpore haerens humano, attenuant solvunt & eliminant, terrea & alcalica, quae acidum alimenti & veneni primas potissimum animalis officinae vias infestans, imbibunt & immutant, acida quae alcali eadem ratione nocens superant, oleosa tandem quae particulas acres salis, vitri, metalli, obducunt & involvunt.

Secundus illa sibi vendicat, quae causa doloris nihil mutata, eius sensum vel tollunt vel obscuriorem reddunt, haec in duas iterum classes abeunt. Ad primam pertinent, quae nervos plane obstupesciunt, & ad sentiendum reddunt ineptos, huc spectant opium, papaver erraticum & sativum, hyosciamus, theriaca, castoreum, carum. Secundam ea constituunt, quae nervos roborando sensum doloris reddunt mitiorem, & haec vulgo quidem generali anodynorum nomine nuncupantur, huc pertinent, spiritus vitrioli dulcis, liquor anodynus Hoffmanni & spiritus naphthae.

Tertii ordinis ea sunt, quae ex una parte doloris causam aggrediuntur, ex altera vero eius sensum diminuant. Ex secundi ordinis anodynorum descriptione facile evincitur, hanc anodynorum speciem itidem esse duplicem, cum qualitas illa causae doloris contraria, vel cum virtute narcotica, vel illa quae anodyna solet vocari *нар. εχορν* possit coniungi, cuius rei exemplo sit, frigida intestinorum illuvies, ex alimentis acidis & glutinosis accedentibus animalis motus defectu, & bilis praesertim lentore oriunda, qualis infantibus & foemellis est familiaris. Materies illa rodendo, & flatus gignendo, morbum sistit ingenti



genti dolore stipatum, qui colicae flatulentae nomine posset insigniri, huic medicinam facturus, si animae rhabarbari iunctum laudanum liquidum Sydenhami aegro propinauerit, habebit medicamentum prioris classis tertii ordinis, si eidem naphthae spiritum addiderit, medicamentum habebit alterius classis eiusdem ordinis: Utroque modo aegri dolores leuabit, priori equidem obstupesciendo nervos, altero eisdem roborando id efficiet, virtus eliminandi materiam in qua doloris causa latet, utrique aequae efficacis inest.

§. XVII.

Quaeritur nunc, cuius census sit oleum animale Democriti? Ego quidem non dubito illud medicamenti secundae classis tertii ordinis inferere. Quemadmodum enim sermo hic est, de eius facultate discutendi febres intermittentes, ita hypothesin meam, satis confirmaturum me arbitror, si monsttrauero ipsi inesse virtutem nervis dolorum perceptionem sine narcosi auferentem, aequae ac qualitatem materiae febrili contrariam.

§. XVIII.

Anodyna autem virtute praeditum esse soleum animale, generice quidem spectata, sola ipsius substantia satis docet, superius euici illud oleo potissimum aethereo constare, sed nullum datur eius notae oleum ex quocunque regno desumptum, quod tali facultate non polleat, hanc vero virtutem ab oleo animali obstupesciendo non exseri, optima hac in re magistra nobis indicat experientia. Sanis enim ho-



minibus ad guttas triginta exhibitum, primo soporem non inducit, excretiones deinde & secretiones non turbat, & si aegro propinatum, ipsi somnum conciliauerit, post eius transitum, nihil incommodi relinquit, quae omnia contraria a narcoticis sequi nemo negauerit.

Not. a) Experientia hic utique est vocanda in subsidium, quandoquidem sola speculatione de talibus medicamentis, nihil certi licet definire. Nemo est medicorum, qui narcotica & anodyna ignoret, sed quis est, qui de amborum actione diserte sit locutus, qui partes eorum constitutivas unquam aperte exposuerit. Qui narcotica per modum ignis, in exiguas durae matris arteriolas, quae nervos circumdat, penetrando operari, pulposamque ipsorum fabricam eodem modo adurere arbitrantur, quo rectificatum vini spiritum nudos nervos corrumpere scimus  $\ddagger$ , anodyna contra augendo & impellendo animales spiritus, itaque exigua nervorum filamenta roborando effectum solitum praestare credunt, ii non absurde equidem videntur cogitasse, sed quis est, qui adversarius quo hanc opinionem impugnet, nihil reliquum fieri, facile putaverit.

$\ddagger$  Opium bene praeparatum adeo est igneum, ut cuti impostum epidermidem in vesiculas extollat, leuissimo tamen igni subiectum, subtile ipsius oleum abigenti, istam facultatem penitus amittit

Not. b.) Narcotica quaeuis facile se produnt, inducto primum graui sopore, qui solutus licet, stuporem, lassitudinem deprauatum appetitum & huius generis incommoda post se relinquit, turbando deinde omnes fere corporis excretiones. Qui frequentiarum haemorrhagia laborant, haemorrhoides fluentes patiuntur, urinam criticam deponunt, foeminis item menstruum sanguinem emittentibus, ex cuiusvis narcotici usu, eae excretiones sub-



subfistunt, anodyna vero iisque annumerandum oleum Democriti, tale quid nunquam efficiunt.

§. XIX.

Altera succedit animalis olei virtus caussae doloris opposita, quae in resolutione consistit. Distinxit ipsam ab anodyna Democritus † olei vires describens, nec inepte, si eadem consideretur in abstracto, sed quia in concreto cum anodyna intime coniuncta, vnum constituit medicamentum anodynum: oleum ipsum iure poterit annumerari anodynis tertii ordinis, ideoque ipsa resoluendi facultas anodynae virtuti tribui, quamvis reapse non sit anodyna, & hoc quidem pacto altera pars §phi XIV, commode una poterit exponi.

† vid. ips. libell. de Morb. & Med. Vit. animal. loco supra citato.

§. XX.

Omnis autem resolutio continet ideam relativam vel spissi vel duri, in humano corpore, quotiescunque resolutionis suggerit obiectum, alterutram causam reperimus cui opponitur resolutio, leucophlegmatia & lithiasis id abunde probant. In aegro vero febris inter mittente detento, durum a febris quatenus febris productum non reperitur, oleum igitur animale febricitanti, ut resolvens profuturum, spissum aliquod discutiet, quod quidem cum febribus intermittentibus esse coniunctum, infra demonstrabo.

§. XXII.

Sed duplex datur spissum in nostro corpore, frigidum alterum, alterum calidum. Aegri leucophlegmatici



matici & febris inflammatoria decumbentes utriusque exemplum sistunt. Prout autem utriusque nomen est contrarium, ita quoque origo & curatio sibi sunt oppositae. Frigidum a nimio esu ciborum farinosorum, immaturorum fructuum & naturali glutine abundantium, defectu denique animalis motus, & depravatione instrumentorum concoctionis producitur. Calidum contra ortum debet ingestis aromatibus, acribus, alcalinis, excessui tandem motuum vitalium animalium & naturalium. Prius ergo malum aromatibus, salibus alcalicis & saponaceis, hoc acidis potissimum diluentibus & farinosis dissolvitur, atque adeo causa frigidi, spisso calido, huius vero frigido medelam affert.

§. XXII.

Cum itaque pateat, unicum medicamentum, duplici spisso sibi contrario, oppositum dari non posse, utri adversetur animale oleum, brevibus erit exponendum.

§. XXIII.

Nihil vero facilius est dijudicatu. Oleum animale constat partibus sulphureis valde rarefactis, ergo humorum motum & calorem inducit, sal demum continet alcalinum volatile, ergo stimulat, & spissum alcalinae naturae oppositum solvit & immutat, itaque ea praestat, quae ad spissi frigidi curationem requiruntur.

§. XXIV.

Cum haec ita se habeant, num duplex ista olei animalis facultas, superius descripta sufficiat discutien-  
dis



dis febribus intermittibus, prout sufficere visa est Democrito, nunc erit inquirendum.

§. XXV.

Febris generice spectata, consentiente Boetha-  
nio, & mihi est corporea conditio in viuenti corpore  
nata, pulsus faciens auctum intra datum tempus, in-  
termittens itaque erit, vbi eadem conditio, intra da-  
tum tempus, nascitur, abit, & reuertitur.

† vid. ipsi. Prae. Med. Part. III. Cap. de Febr. in gen.

§. XXVI.

Haec vero febrium intermittium descriptio,  
cum nimis sit lata, morbos comprehendens, quibus  
oleum suum non destinavit Democritus, arctioribus  
illa limitibus erit circumscribenda, ut quid sub inter-  
mittentium febrium nomine intellectum velit Demo-  
critus, fiat perspicuum.

Not. Hectici a pastu febriculam semper patiuntur, quae  
cum quouis die accedat eodemque perfecte finiatur, &  
altero reuersa idem stadium percurrat, intermittens no-  
men sine dubio meretur, sed de tali febris oleo suo abi-  
genda, ne quidem cogitavit Democritus.

§. XXVII.

Intermittentis autem febris nomine illa venit De-  
mocrito, quae cum frigore atque individui saeclitatis  
instar frigus sequente fervore, aegrum aggressa, post  
certum *ἀντιθέτως* intervallum, idem curriculum ite-  
rum orditur.

Not



Not. Diserta Democriti ❁ verba, quibus eiusmodi febres vocat ex horrore intermittentes, item cum horrore incipientes & in feruore desinentes, satis euincunt, de aliis febribus ipsum non esse locutum, nisi de iis, quas modo descripsi, quasque uulgus patrio sermone, *kalte Fieber*, *Wechsel-Fieber*, appellare consuevit.

❁ Vid. ips. Libr. Supra citat. loc. citat.

§. XXVIII.

In omni vero huius census febris, sub paroxyfmi exordium, adest oscitatio, & pandiculatio; post eam, frigore incipiente alternans musculorum relaxatio & tensio, circulus humorum lentissimus, ventriculi dolor, cum cephalalgia aliquando coniunctus, sub finem paroxyfmi, ingens lassitudo largo sudore conspiciua. Haec igitur symptomata, cum prodant inertiam animalium spirituum, item causam neruis vel premendo, vel rodendo & pungendo doloris sensum imprimentem, recte is mihi videtur argumentari, qui tutissimum hic medicamentum fore putat, quod ad neruos spiritus determinando eosque roborando, dissoluendo tandem doloris causam vires suas explicet. Hanc vero indolem prae se ferre animale oleum, vel ex supra dictis, vel ex sequentibus facile poterit colligi.

Not. a) Datur in omni febris intermittenti dolor. Si ventriculi & capitis dolorem excipias, ipsa debilitas & lassitudo instar doloris erit, sed quaeritur, quae eius dolorum sit causa? Inflammatio non potest accusari, quia febres huius generis omnis inflammationis sunt expertes. Vehemens vero sanguinis circulatio, etsi caloris tempore utique adsit, non sufficit tamen, quia durante frigoris periodo, humores lentissime mouentur, neque tamen dolores isti cessant;



cessant; sed neque humorum abundantia in causa est; nam *democritus* qui laborant plethoricis etiam facilius intermittentes febres patiuntur; neque tandem humorum a credo inculpanda erit, nam genuina febris caret pruritu exanthematibus & ceteris signis a credinis. Superest ergo ut causa delitecat in viscido frigido, quod in febribus intermittentibus adeste, paragraphus sequens docebit; Hoc igitur viscidum stagnans & pressum illum doloris sensum excitat, unde ratio est in promptu, cur oleum animale, & dolores febrium sedare, & causam earumdem debellare dixerim.

Not. b.) Dolor ventriculi multis fuit praeternaturalis, cum tamen plerosque febris paroxysmos comitetur, Democritus in contrariam partem abiit, ipsumque habens pro potiori symptomate, totam fere olei sui virtutem anodynam, compescendo eidem consecravit. Sed quemadmodum dolor ille non habetur in signis huius morbi pathognosticis, ita dubium non est, quin idem possit abesse salua nihilominus febris natura, adeoque supervacaneum esset sedationi doloris non perpetui vires totas latius sese diffundentis medicamenti anodynini destinare. Democritum tamen fecus sentientem nemo valde mirabitur, ipsius opinionis de febrium natura conceptae vel parum gnarus. Cum enim bilis & pancreatici succi conflictum, pro genuino concoctionis instrumento, depravatum vero utriusque dominium pro frigoris & feruoris causa habebat, quibus intermittens febris se se distinguit, cum porro huius aberrationis a naturae legibus causam in tumentibus & dolentibus ductuum choledochi & Virsingini orificiis quaereret, non poterat fieri, quin eam medicamenti principem virtutem fore arbitraretur, quae eius partis dolorem auferret, cuius integritate non restituta, febrem curari posse insiciabatur.



§. XXIX.

In omni denique eiusdem indolis febrī, fluctuans deprehenditur saburra in ventriculo & primis viis, nauseam excitans, quae vomitu aliquando reicitur; similem materiem in arteriis & venis habitare, transitus humorum ex intestinis ad sanguinem, ingens febrile frigus, aegrorum sectio ex tali febrī interemptorum, extra dubium ponunt. Hanc vero materiam ex visceri frigidi natura esse, item frigus, absentia inflammationis, inclinatio talium februm ad morbos chronicos, usus denique alcalinorum, febrī eius modi decumbentibus proficiuus, uberrime testantur. Facultatem vero viscidum frigidum dissolvendi eminentem possidere oleum Democriti, ex supra memoratis intelligitur.

Not. a) Errant, qui viscidum ad sanguinem penetrare non posse existimant, qui fructibus leguminosis largiter vescuntur, aliquot horis a pastu elapsis astmatici fiunt, nulla alia de causa, quam quod viscidum quo scatent eiusmodi fructus, per tenerima pulmonum vascula transire non potest.

Not. b.) Frigus ex omni equidem causa potest oriri, calidam admosphaeram, qua transpirationis lege perpetuo circumdamur amouente, ut aer humoribus nostris frigidior corpus immediate possit ferire; Huiusmodi est salubre illud frigus, quod inflammatoria materie, critico die ex arteriis subito in venas bibulas rapta, eos saepe afficit, qui in acutam febrim inciderunt. Febrile autem frigus viscido originem debere, satis confirmat, circulatio humorum ipso frigore durante per pulmones praesertim impedita, eademque accedente calore liberior redita.

Not.



Not. c.) Cadavera eorum qui ex frigore febrili moriuntur, secta, officinas pulmonum hepatis lienis & pancreatis nemine medicorum dissentiente, glutinosis humoribus infarctas exhibent. conf. Haruaeus Exercit. anatom. Cap. XVI. Boerhaavius prax. Med. part. III. cap. de febribus intermittit.

Not. d.) Calor frigori febrili superueniens, inflammationem nunquam gignit, unde de praesenti viscido frigido scite argumentatus est Boerhaavius: ita scribens: Homo qui quartana frigida corripitur habet magnum & ingentem calorem, sed an inde unquam vidiitis inflammationem? Certe non memini quancumque dolores capitis, aut in pectore fuerint, non tamen sequitur inflammatio, ergo duo spissa differunt inflammatorium & frigidum.

† Vid. ipf. prax. Med. part. III. cap. de febr.

d) Omnes febres intermittentes nisi aegri culpa ordinem naturae infringat, tandem in chronicos morbos abeunt, satis de viscido frigido testantes.

Not. e.) Vfus alcalinorum omnibus fere medicis in febrium intermittantium curatione familiaris mortem aegri arceseret, si viscidum febrile esset inflammatorium.

§. XXX.

Latior haec indolis descriptio, quae oleo animali inest, febribus intermittibus medentis, si arctioribus limitibus circumscribi, & medicorum usui reddi debet accommodatior, pauca de febrium diuersitate mihi videntur monenda, quibus subnexa ratione oleum exhibendi, ea me praestitisse arbitror, quae dissertationis promisit inscriptio.

Not. Democritus equidem, solitas medicorum distinctiones doctrinae de febribus insertas nihili aestimat, sed videtur





detur hac in re reprehendendus, illae enim non subtilitatis prurigine, sed lege *deθορομιας*; si fuerint definitae, medico de salute aegrorum sollicito, regulas subministrant, quibus ad praxin clinicam applicatis febres citius curabitur & felicius, incerto alias euentui relinquendas.

§. XXXI.

Febres illae in genere vel autumnales sunt vel vernaes, illae a februario incipientes, usque ad augustum, hae augusti tempore exorsae usque ad februarium durant. Res ipsa & constans medicorum obseruatio demonstrant, vernaes febres cito resolubiles, autumnales contra, pertinaces esse, & mutabiles facile in morbos chronicos, hinc sponte sequitur illas olei animalis usu facilius, has difficilius superari. Febres porro intermittentes, uti notissimum est, quotidianae sunt, tertianae, quartanae non exclusis quintanis sextanis septimanis & mensuris, quae rarius licet obseruatae, aliquando tamen occurrunt. Eaedem vel simplices sunt vel duplices vel triplices quoque de quorum nominum sensu sibi inter omnes medicos constat. Ingenium vero febrium intermittantium omnium binis regulis explicatur, quae ita se habent. Quo intercalare spatium inter duos quosque paroxysmos intercedens est minus, eo citius resoluitur febris; quo idem intervallum est maius, eo difficilius febris discutitur. Unde clarum est, febres diarias & tertianas citius quartanis quintanis & ceteris maiori adhuc *ατροσεως* tempore conspicuis duplices & triplices citius simplicibus, olei viribus dissipari.

§. XXXII.



§. XXXII.

Ad modum tandem oleum aegris propinandi quod attinet, recte monuit Democritus † illud dandum esse ante paroxysmum & ieiuno stomacho, namque eo pacto imminens praecauetur frigus, quo abacto, calor & omnia incommoda independentia sponte cessant, ventriculus autem cibus non infarctus, vires olei, peregrini magmatis admistione non fractas, vel ipse poterit sentire, vel cum ceteris partibus communicare. Hic tamen est notandum olei usum, nisi primo die manifestas sanationis successurae notas post se relinquat, altero quoque, praefertim si idem sit intercalaris, posse continuari. Notae quidem sanationis voto respondentis sunt somnus, quies, absentia frigoris, & rediens appetitus. Nisi tunc quoque spem effectus sequatur, elapsis aliquot diebus, oleum iterum poterit exhiberi, idque tam diu, dum recuperata valetudo, ipsa medicinam respuat. Ad dosin quod spectat, illa sane est optima, quam ipse Democritus suggerit, triginta enim vel quadraginta guttae assumptae, satis superque testantur de medicamenti efficacia.

† vid. ips. libr. cit. loc. saep. cit.

§. XXXIII.

Atqui haec sunt, quae de oleo animali mihi visa sunt proferenda in medium; usum ipsius, suspectum compluribus, quo minus commendem, nec odiosum aliis Democriti nomen, nec glossatoris cuiusdam, qui eiusdem libellum de Morbo & Medicina Virae animalis teutonico idiomate donatum, notis illustravit, potuit



fuit impedire, cum vel autopfia vel relatio aliorum, quos non potui non habere pro fide dignis omnem dubitanti scrupulum euulserit. Dum tamen hoc oleum laudo, alia medicamenta medicis usitata, vituperare animus mihi plane non fuit, quippe quæ idem efficere facile largior, falua tamen mea hypothesi.

## C O R O L L A R I A.

- I.) *Non omnis curatio sympathetica est superstitiosa.*
- II.) *Cor motum diastolicum neruorum paralyfi, ab irruente arterioso sanguine inducendae non debet.*
- III.) *Ductus mammarum galactophori interse non coniunguntur.*
- IV.) *Vulneri recenti sani hominis pars quaedam alius animalis inseri potest & cum eodem coniungi.*
- V.) *Trepanatio post decimum diem instituta non semper est lethalis.*
- VI.) *Brachii totius cum osse humeri & scapulae extirpatio quamuis summe periculosa, lethalis tamen absolute non est.*
- VII.) *Mortis indicium ex pulsu intermittente desumptum admodum est fallax.*

VIII.



- VIII.) *Cessatio motus cordis respirationis & sensibilitatis ultra binos dies perdurans mortem non probat.*
- IX.) *Non omne oleum cum sale alcalino fixo in saponem abit.*
- X.) *Spiritus animales inepte ideo negantur, quia nervi ductus conspiciendos non exhibent microscopio subiecti.*
- XI.) *Omne sal fixum sulphur fixum continet.*
- XII.) *Medicamentum ex ingenti numero simplicium vere diversorum compositum, incerti est usus.*





1700

VIII. Cetero notor cordis affectionem & tristitiam  
 IX. Non omne genus est tale dicitur sine in fano  
 X. Spiritus est aliter cordis affectu negotia, que nec  
 XI. Omne sal ferum fuisse, cum conficitur  
 XII. M...





00 A 6332 (1)  
VD 18

ULB Halle 3  
002 836 610




86


Reha ✓











22

O INAVGVRALIS MEDICA,  
DE  
RATIONE OLEI  
CHRISTIANI DEMOCRITI  
E VSV FEBRIBVS  
MITTENTIBVS  
EDENTI,  
QVAM  
PICE DEO T. O. M.  
IFICENTISSIMO AVGVSTISSIMO,  
TENTISSIMO PRINCIPE

O SECVNDO  
BRITANNIAE FRANC. ET HIBERN.  
EFENSORE FIDEI,  
ENSI ET LVNEVVRGENI, S. R. I.  
SAVRARIO ET ELECTORE,  
PRAESIDE  
TORE MAGNIFICO,  
TO HALLER  
P. O. CONSILIARIO AVLICO, ARCHIATRO  
REGIAR. ANGL. ET SVEC. SOD.  
REIPVBL. BERNENS. DVCENTVMVIRO,  
CVLTATIS MEDICAE CONSENSV,  
PRO  
AC PRIVILEGHS DOCTORIS  
TE OBTINENDIS,  
MAH A. R. S. MDCCXLVII.  
H. L. Q. C.  
THEDRA DEFENDET  
ERNESTVS LOEBER.  
SOC. LAT. IENENS. SODAL.  
E, LITTERIS HAGERIANIS.

*S. J. gl. Apothec. Jena*